



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XCIII. Ioannis Papae VIII. Ad Arelatensem Archiepiscopvm.
Arelatensi archiepiscopo pallium concedit, vices suas commitens. monet
quid in causis difficilioribus sit agendum. arguit ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA XCIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ARELATENSEM ARCHIEPISCOPVM.

Arelatensi archiepiscopo pallium concedit, vices suas committens. monet quid in causis difficilioribus sit agendum. arguit metropolitanos Gallicos, quod ante pallii receptionem episcopos consecrent. præcipit ut se certiorem faciat de his quæ gesta fuerint.

Arelatensi archiepiscopo.

IT A Q V E fraternitati tuæ vices nostras in ecclesiis, quæ sub regno Galliarum sunt, iuxta antiquum morem, Deo auctore committimus, singulis quidem metropolitis secundum priscam consuetudinem, proprio honore seruato. Pallium quoque concessimus quo fraternitas tua decoretur: sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate, & ad loca alia transfire non liceat. Si qua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos caussa emerserit quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis ventiletur atque decidatur: sin autem decidi nequuerit, discussa veritate ad nostrum iudicium referatur. Proh dolor! cum in Galliæ partibus essemus, inter cetera unum valde prohibendum inuenimus: metropolitæ antequam pallium a sede apostolica suscipiant, consecrationem facere præsumunt, quod antecessores nostri & nos canonico decreto ne fieret interdiximus. Vnde fraternitatem tuam per Galliam nostram vicem tenentem hortamur, quatenus super hoc solitudinem habeas, & ne istud adoleat, auctoritate prohibeas; & ut secundum antiquum morem querere festinent moneas, incites, atque præcipias: & si ipsi obedient, nec ne, nostro apostolatu semper omnia renunties, si potest in natuitate apostolorum aut per vos, aut per nostrum legatum aliquem certis literis intimare ne differas. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vos in moribus seruare concedat. Data vt supra.